tum.qđ.cxxv.noſtros con-
tinet paſſus:hoc eſt pedes ſexcentos.xxv. Intēdere:cōtendere omni
nixu conatuq;. Omnibus vngulis vt dicitur: ꝓuerbiale eſt qđ ſigni Vngues:
ficat oibus viribus manuū pedūq;: & conatu totius corporis: vt etiā clauſule
vngues qui ſunt in extremitate collocati. Intēdātur:quos plinius exi- neruorū
ſtimat eſſe ſummas neruorū clauſulas: cōſimile eſt illud Maronianū.
Conſtitit in digitos ex tēplo erectus vterq;. Genu.M.Antoniū vi- Anton.⁹
di.M. Antonius orator ille qui multos ſe vidiſſe diſertos eloquentes inceſti
neminē dictitabat:olim inceſti poſtulatus apud Lu.caſſium prætorem reus.
cuius tribunal propter nimiam ſeueritatem ſcopulus reorū dicebatur Scopulus
fiducia innocentiæ ſubnixus cauſam pro ſe ipſe dixit concitate & in- reorum.
flamanter: ſtatimq; abſolutus: eſt ſunt. auctores ſeruū. M Antonii in Fides
hac cauſa tortū mira pacientia toleraſſe cruciatus:nulloq; iudicio ſalu ſerui.
tem domini leſiſſe:a quo accuſatores laternam prolatā contendebant
cum ad ſtuprum iret Antonius. Lege varia:fuit Quintus varius tri. Lex varia
plebis:qui legem tulit vt quæreretur de his: quorum ope conſilio ue
ſocii contra populum romanū arma ſumpſiſſent:quæ rex varia dicta
eſt:cuius capite pœna ſanciebatur in dānatos inceſti.legis variæ me-
minit cicero in oratione pro ſcauro & pedianus aſconius. Ait idem

Mar. Tullius in bruto. Q. Variũ lege ſua varia damnatũ fuiſſe. Ter
Ferire fe= mur ram tangere: femur ferire: in oratoribus vſitatum eſt: & indignãtes
decet & excitat auditorẽ: quod athenis primus feciſſe creditur cleon
Supplo= ſio pedis vt docet Quintilianus in. xi. cõplodere vero manus & pectus cede=
re ſenicum eſt: pedis ſupploſio oportuna eſt vt ait Cicero in conten=
tionibus incipiendis aut fi=
niendis: fuit in marco an=
tonio vt idem Cicero ſcri
bit in bruto ſingularis actio
Geſtus cum ſententiis con
gruẽs: ſupploſio pedis. Vox
pmanẽs: verũ ſub rauca na=
Baliſta tura. Vt baliſta lapidũ: bali=
ſtæ machinæ ſunt bellicæ:
q̃ funibus neruicis tẽdũtur
q̃ quãto ꝓlixiora habuerint
brachia tanto longius ſpi=
cula mittũt aut ſaxa. Capil
lo muliebri: vel neruo funes
in baliſta conficiũtur ma=
gnitudini lapidis cõgruen=
tes: mittit ãt baliſta lapides
pondo centum viginti: au
ctores vegetius & Victru=
uius; beliſtam inuenerunt
phenices vt docet Plinius:
ſunt manubaliſtæ minores
Manuba liſtæ. manu tractabiles: alio noie
ne ſcorpiones dicti qđ ſub=
Scorpiones tilibꝰ & paruis ſpiculis ſcor
pionũ inſtar inferunt mortẽ: a baliſta deducitur baliſtariũ. Plautus i
Baliſtariũ penulo. Infortunii intenta baliſta eſt ꝓbe: quam ego haud multo poſt
Ex bali= ſtare mittã e baliſtario: vbi baliſta accipi videtur ꝓ telo baliſtariũ ꝓ machi=
na: hinc quoq; fit verbũ illud plautinũ ex baliſtare: quod ſignificat ex
baliſta emitte & eiaculari: ſic enim ait in pſeudolo balionẽ ex baliſta=
Notabile bo lepide: date operam modo. Sic plaga. quidã agrauant ictus an=
te quonatũ: ſaliua in manus in geſta: quod ſi quẽ peniteat ictus illati
ſtatim poſt ictum expuat mediã in manũ q̃ pcuſſit leuatur illico pcuſ
ſus a pœna: hoc ſepe delũbata quadrupede approbatũ ẽ vt igt. Pliniꝰ
in. xxviii. ſtati a tali remedio correcto aialis igreſſu. Hoc tm̃: quo gtũ.
Cũ nihil imminuatur dolo. Contra ait Seneca magnũ in querelis

Vt enim baliſtæ lapidũ & reliqua
tormẽta telorũ eo grauiores emiſ
ſiones habent: quo ſunt contenta
atq; deducta vehementius ſic vox
ſic curſus ſic plaga hoc gauior quo
eſt miſſa contentius. cuius conten
tionis cũ tanta vis ſit: ſi gemitus in
dolore ad confirmandũ animũ va
lebit. vtemur ſin erit ille gemitus la
mentabilis ſi imbecillus ſi abiectus
ſi flebilis ei: qui ſe dederit vix eum
virum dixerim: qui quidẽ gemitus
ſi leuationis aliquid afferret: tũ vi=
deremus quid eſſet fortis & animo
ſi viri. Cum vero nihil imminua=
tur doloris: cur fruſtra turpes eſſe
volumus? Quid eſt enim fletu mu
liebri viro turpius: atq; hoc præ=
ceptum quod de dolore datur pa=
tet latius. Omnibus enim rebus

eſt leuamentũ: cui ſentẽtie ſubſcribit illud ouidianũ. Fletqꝫ meos caſus: eſt quedã flere voluptas. Lenitur lachrymis egeriturqꝫ dolor: idẽ dixit ſtrangulant incluſus dolor atqꝫ cor eſtuat intus. Ira exardeſcit: ſupra dixit in oībus officiis pſequẽdis animi adhibendã eſſe contentionẽ: quæ ſicut pollet in dolore: ita valebit in ira & libidine ſuffrenanda: q̃ partes ſunt aĩ irrationabilis. Relegatæ ꝓcul a regina ratione: obtinẽtes infernas: ſedes vt popinas quaſdã & latrinarum latebras: diuerſoriæ nequitiæ atqꝫ luxuriæ. In eandem arcem: in vrbibus munitiſſimas eſſe artes nemo eſt qui neſciat: quod & auſonius teſtatur illo verſu. Vrbibus in tuis munitior vrbibus eſt arx: arx ſedes tirãni dr̃ vt inquit aſconius: vel editus in ciuitate & munitior ad ſalutẽ ciuiũ locus Itaqꝫ cũ arx ſit munitiſſimus & ad ſalutẽ comperatus locus: p ſpecioſam trãſlationẽ ſignificat confugiẽdum eſſe ad contẽtionem veluti in arcẽ: tanq̃ idẽ ſuffugium ſit munitiſſimũ aduerſus impetus iraſcentiæ & libidinis graſſantiũ: qđ eſt tutiſſimũ contra dolorem aſſilientẽ. Dicendũ eſt enim ſepius pulchra vt inquit plato bis terqꝫ repetenda ſunt: & vt ait ſeneca: nũq̃ nimis dicetur quod nunq̃ ſatis. Nõ ſentiũt vulnera: dum caleſcunt in p̃lio. dũ eſt ictus recẽs: nõ ſentiũt dolorẽ ex vulnere: immo vt ait Furius poeta: vireſcit vulnere virtus; & Lucanus ſaucia maiores aĩos vi pectora geſtãt interdũ nec ſe vulneratos eſſe ſciunt: tantus eſt ardor aiorũ: tantus impetus aduerſariũ ꝓſternendi.

Leuamentum in q̃relis

non ſolum dolori ſimili contentione animi reſiſtendũ: eſt ira exardeſcit: libido excitatur: in eandẽ arcem confugiendũ eſt eadem ſunt arma ſumenda. ſed quoniá de dolore loquimur illa omittamus. Ad ferendum igitur doloré placide & ſedate plurimũ ꝓficit toto pectore vt dicitur cogitare. quá id honeſtũ ſit ſumus. n. ná vt ante dixi: dicendũ eſt enim ſæpius: ſtudioſiſſimi appetentiſſimiqꝫ honeſtatis. cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpexerimus: nihil eſt quod vt eo potiamur: non paratiſmus & ferre & perpeti. ex hoc curſu atqꝫ impetu animorum ad veram laudẽ atqꝫ honeſtatẽ: illa pericula adeuntur in præliis. non ſentiunt viri fortes in acie vulnera vel ſi ſentiunt ſe mori malunt: quá tantũmodum de dignitatis gradu dimoueri fulgentes gladios hoſtiũ videbãt Decii: cum in aciem eorũ irruebant. his leuabat oẽm vulnerum metum nobilitas mortis &

Arx

Vireſcit vulnere virtus.

Mures decii.

Decii de tribus de.q̃ cognominati ſunt mures: q ſe morti deuoue-
rũt pro ſalute romanorũ diximus in primo cõmentario. Lucanus ap-
pellat decios luſtrales belli animas. Ingemuiſſe epa. epeminũdas cu-
ius virtute res lacedemoniorũ acciſæ: opes thebanorum auctæ ſunt
poſt p̃clara facinora edita: extremo tẽpore apud mãtineã cũ acie in-
ſtructa: & ducis optimi: &

gloria: nũ tum ingemuiſſe Epami-
nundã putas: cũ vna cũ ſanguine
vitã effluere ſentiret: imperantẽn.
patriã lacedæmoniis relinquebat:
quã acceperat ſeruitutẽ. hæc ſunt
ſolatia: hæc fomẽta ſũmorũ dolo-
rũ. Dices quid in pace? qd in lectu-
lo ad philoſophos me reuocas: q
in acie nõ ſæpe pdeũt: e quib⁹ hõ
ſane leuis heracleotes Dionyſi⁹ cũ
a Ζenone fortis eẽ didiciſſet: a do-
lore deductus eſt. nã cũ ex renibus

militis fortiſſimi officio fũ-
Sparo p̃cuſſus. gitur ſparo qđ agreſte telũ
eſt pcuſſus ictu mortifero:
Epaminũdas. relatuſq; in caſtra ſemiani-
mis reqſiuit a circũſtãtibus
Oſculat⁹ clypeum. ſaluus ne eſſet clypeus cum
ſaluũ eſſe flentes ſui reſpon-
diſſent allatũ veluti ſociũ la-
borũ gloriæq; oſculatus eſt
Iterũ q̃ſiuit eſſent ne fuſi ho-
ſtes? Cũq; id quoq; vt cupi-
ebat audiuiſſet. Euelli tũ de-
niq; ſpiculũ iuſſit. Ita multo
ſanguine pfuſo in leticia &
in victoria eſt mortuus: cui⁹
morte thebanorũ vires hebetatæ: ſunt vt nõ tã illũ amiſiſſe: q̃ cũ illo
interiſſe oẽs viderẽtur: nã ante epaminũdã thebani alieno impio pa-
ruerũt: poſt interitũ eiuſdẽ in ſeruitutẽ priſtinã reuoluti ſunt: vt mani-
feſtũ ſit gloriã thebanã cũ ille natã cũ illo extinctã fuiſſe: vereq; dictũ
ſit vnũ hominẽ pluris eſſe q̃ ciuitatẽ: auctores trogus probus Emyli⁹
M. Tullius: cæteri. In acie nõ ſepe pdeũt: philoſophus arma nõ in-
duit: ad bella non vadit. Domi in vita vmbratica ocioq; litterario vi-
tã degit tranquillã & perinde beatã: cõtentus & ſuo & paruo: legim⁹
tamẽ Socratẽ & Xenophontẽ: rebus bellicis ſeſe ĩmiſcuiſſe. Nã ex bel-
Socrates bellator. lo deliaco cũ male pugnatũ eſſet fugiens Socrates venit in triuiũ: ſed
eadẽ q̃ cæteri via fugere noluit: qbus q̃rẽtibus cur nõ eadẽ pergeret.
Deterreri ſe a demonio ſuo dixit: tũc qdẽ ii q alia via fugerãt in equi-
Preſagiũ ſocratis. tũ hoſtiũ inciderũt. Socrates ipſe euaſit incolumus: Seruauitq; Xeno-
phontẽ ex equo plapſum: quẽ ſublatũ humeris exportauit in tutum.
Heracletes: ab heraclea ciuitate boſphorana: cuius fuit municeps: hic
aũt Dionyſius inter nobiliores diſcipulos zenonis celebratur: quẽ pi-
guit dolorẽ dicere adiaphoron. i. indifferẽtẽ: put dicitur a zenone &
ſtoicis: cũ laboraret ex renibus: & cũ lipitudine acerrima cruciaretur.
A dolore deductus: ſuperatus abſtractuſq; a pposito. Ex renibus
laboraret: hippocrates Galenus: & nobiliſſimi medicorũ nephreticos

laboraret : ipſo in eiulatu clamitabat falſa eſſe illa: quæ antea de dolore ſenſiſſet ipſe . Quē dū Cleantes cōdiſcipulus eius rogaret. q̄ nā rō eū de ſentētia deduxiſſet: reſpōdit : quia cū tantū operæ philoſophiæ dediſſem : dolorē tamē ferre non poſſem: ſatis eſſet argumenti malū eſſe dolorē. plurimos aūt annos in philoſophia cōſumpſi: nec ferre poſſum : malū ē igitur dolor.

græco vocabulo appellāt:laborantes morbo renū ρεφροσ.n. grece Ren.& ρεφριτισ:morbus renū: dicitur: qui inter acutos morbos enumeratur. Orarius: qđ latus aut renes morbo tenentur acuto Cor. celſus in quarto: at renes vbi affecti ſunt diu male habēte: peius eſt ſi freqūes libidinoſus vomitus accedit: hippocrates ſcribit nephreticos dolores difficulter ſaneſcere in ſenibus idē tradit: bullantē vrinā ſignū eē nephretici morbi & οξιαρ ροσον .i. acutū morbū fore. Aialia vt ait plinius in renibus pingua ſunt: quaterni renes ceruis ſunt in brileto deſter oibus eſt latior:& minus pinguis ſicciorq; renes habent oia quadrupedū q̄ aial generāt. Cū Dionyſius morbo renū laboraret cruciareturq; cruciatu ipatibili ſuccūbēs dolori clamabat falſa eſſe q̄ a zenone didiciſſet. Dolorē .ſ. nō eſſe malū. Cleāthes: memoriæ proditū eſt cleantē ſtudioſiſſime philoſophatū eſſe ſub zenone : & in decretis ſtoicorū pſeuerāter pſtitiſſe: q inopia cogēte mercenarius fact⁹ noctu hauriebat aquas ad hortos irrigādos: iterdiu philoſophabatur Vnde phreātles dictus .i. puteos exhauriēs: tradūt illū: q̄ a zenone audierat oſſibus bonū & teſtis fictilibus pſcribere ſolitū : cū pecunia cū ſupperet ad carthas emēdas hic pſius frugē cleātheā dixit: itelligi volēs p̄cepta philoſophię Stoice frugifera ac ſalutaria. Malū ē igit̄ dolor cōcluſio ſyllogiſmi quo vſus ē dionyſi⁹ ad demōſtrādū dolorē nō eē adiaphoron: vt didicerat a zenone doctore: ſed malū. Verſū ex epigonis: ex lectōe papinii ſtatii bellū thebanū ſatis notū:& noia ducū: q in eo bello occubuerūt: quorū filii vt mortē parētū vlciſcerent̄: cōi cōſilio cōtra thebanos iterū arma mouerūt: q accepant reſpōſū ab apolline eā ſe ciuitatē expugnaturos: ſi alcmeonē āphiarai filiū impatorē rei bellicæ feciſſent: igit̄ alcmeon exercitu ex græcis collecto contra thebas duxit copias militares: acerrimeq; cōmiſſa pugna potius eſt victoria: thebanorū res acceſæ ſunt: q impares viribus oī ſpe diſtitui: ex cōſilio tyreſiæ vrbē linquētes ſalutē fuga q̄ſiuere: thebæ captæ: ac dirutæ ſunt huiuſce ſecūdi thebani belli auctores dicti epigoni quaſi fœtus illorū: qui primū cōfecerant bellū: græce.n. επιγονη : fœtus appellatur:& qui poſt gignitur. inde euripides tragicus poeta: tragediā

Nephretici qui Morbus renum acutus.

Quaterni renes ceruis

Cleāthes

Phreātles

De epigonis.

Thebæ dirutæ ab epigonis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epigoni alteri

hoc argumento compoſitā epigonos inſcripſit : quæ agi expoſcebat voce magna ſcenicorū & ſonora:ob hoc dixit. M.Tulli⁹ in primo de officiis:qđ hiſtriones voce freti agūt epigonos:medeāq;: labūtur qui exiſtimāt epigonos apud ſtrabonē eſſe populos: a quibus fabulæ nomē inditū ſit:cū epigoni dicti ſint generali vocabulo oēs illi:qui ex diuerſis populi conflati:ſecūdū bellū thebanū duce alcmeone cōfecerūt:quaſi poſt geniti & filiis illorū : qui in primo bello ad thebas mortem oppetierāt : illud adde epigonos quoq; nūcupatos eſſe ſucceſſores macedonū veteranorū: qui ſub alexandro magno ex aſiaticis fœminis ſobolem ſuſceperunt quæ ſoboles vt hiſtorici memorant nomen habuit epigoni:q in caſtris nati: in armis educati a paruula ætate: periculis exercitati:laboribus durati: prorſus inuicti:& inſuperabiles extiterūt:quibus vallum pro patria.

Tum Cleanthē cū pede terram percuſſiſſet verſum ex epigonis ferūt dixiſſe: Audis ne hæc Amphiarae ſub terram abdite. ʒenonē ſignificabat a quo illum degenerare dolebat. At non noſter poſſidonius quem & ſepe ipſe vidi: & id dicam ꝙ ſolebat narrare pompeius ſe cū rhodum veniſſet decedens ex ſyria audire voluiſſe poſſidoniū ſed cū audiret cū grauiter eſſe egrū quod vehementer eius artus laborarēt:

Amphiaraus abſorptus

Conflictus pro victoria erat: in epigonis vt ad tragediam reuertar:erat hic verſus:audis ne hæc amphiarae: quē opinor ex perſona alcmeonis filii dici ad amphiaraum patrē iam defunctum & ſub terræ abditum: qui in primo th:bano bello abſorptus eſt hiatu terræ vna cū curru:vt canit Statius in thebaide.Strabo refert corruente de curru amphiarao currū ipſum inanē ad locū boetiæ delatū eſſe : qui a curru nomen acceperit: nāq; harma nominatur quod græco vocabulo currū ſignificat . Cleanthes autē vſurpauit hunc verſum intelligi ipſe volens nomine amphiarai zenonem:quē percūtatur an audiat qđ loquatur Dionyſius diſcipul⁹ victus a dolore prorſus generās a dogmate doctoris. At nō noſter poſſidonius:Scilicet deductus eſt a dolore & victus:hoc.n.extrinſecus ſub intelligendū:teſtis eſt Strabo in xiiii.poſſidoniū fuiſſe epamienſem ex ſyria:ſed rhodiū exiſtimatum: quia rhodi vixit:quia rhodi philoſophatus eſt & ſophiſticam exercuit ſicut apollonius molo clariſſimus dicendi magiſter dictus eſt rhodius cum eſſet alabadenſis:vtrūq; audiuit.M.Tullius cum rhodū ſe contuliſſet: vt auctor eſt plutarchus: quod ad rē pertinet pompeius magn⁹ confecto bello mithridatico:victor in patriā reuertens cum rhodū veniſſet audire voluit profeſſores oēs artiū liberaliū: & ſingulis ꝓfeſſo-

Harma

Poſſidonius.

Rhodius

Liberalitas pompei in profeſſores.

ribus talentū ſingulū dono dedit: cū primis autē audiuit poſſidoniū philoſophū: qui ſcripſit ad hermagoram oratorē totū hoc negocium quēadmodū auditus fuerat & donatus a Pōpeio: & q̄cūqꝫ in ea collo catione q̄ſita fuiſſent: hoc idē athenis circa philoſophos egit pōpeius
Eius artus laborarēt: poſſidoniū articulari morbo laboraſſe ſignifi= cat: quo periſſe enniū poetā docuimꝰ: articularios mor= bos ſedat herba meliſſophy lon vt inquit plinius in.xxi.

voluiſſe tamen nobiliſſimū philo= ſophum viſcere. quem vt vidiſſet & ſalutauiſſet. honorificiſqꝫ ver= bis proſecutus eſſet: moleſteqꝫ ſe dixiſſet ferre: ꝗ eū nō poſſet audi= re: at ille tu vero inquit potes: nec cōmittā vt dolor corporis efficiat vt fruſtra tantus vir ad me venerit Itaqꝫ narrabat eū grauiter & copi= oſe de hoc ipſo nihil eſſe bonū ni= ſi ꝗ honeſtum eſſet cubantē diſpu taſſe: cūqꝫ quaſi faces ei doloris ad mouerentur ſæpe dixiſſe: nihil agis dolor quāuis ſis moleſtus nunquā te eſſe confitebor malū. Omnino= que omnes clari & nobilitati labo res contēnendo fiunt etiā tolera= biles. Videmus ne apud quos eorū

Articula= rius mor bus.

Tantus vir: ſcilicet Pom= peius: quo nullus maior in romana republica extitiſſet ſi ante cladē pharſalicā oc= cubuiſſet: qđ & Seneca con firmat in libro de cōſolatio ne ad martiā hiſce verbis. Si. Gn. pompeiū decus iſtiꝰ firmamentūqꝫ imperii Nea polis fortuna abſtuliſſet in= dubitatus populi Romani princeps exceſſerat. Cubā tem: in lectulo iacētē egro= tantē. Cubare enim egrota= re ē. Oratiꝰ: trans tiberim lō ge cubat is ꝓpe Cæſaris or tos. Nihil agis dolor: ver bū plenū virilitatis & robo= ris ac plane dignum ſtoico

Cubare

philoſopho: qui dolorē negat eſſe malū quāuis ſit moleſtus toleratuqꝫ difficilis. Qui gymnici nominātur: ludos gymnicos appellant: qui= bus nudati exercent corpora: vt in athleticis & paleſtricis certamini= bus. Nero princeps edidit certamen gymnicum in ſeptis Galienum quoqꝫ imperatorem: ludos gymnicos dediſſe teſtis eſt iulius capito= linus γυμνοσ græce nudus ſignificatur: vnde gymnici ludi dicti græca res eſt nihil velare & corpora nudare. Dixit plinius græcos vi tiorum omniū genitores vſum olei ad luxuriā vertiſſe in gymnaſiis publicando. Venandi laus: venatorie voluptates continent in ſe vt inquit iulius capitolinus: calorem: pluuias: ſudorem: frigora: niues: & id genus mala cōpluſcula: quæ tamen omnia ſtudioſi venationis non ſolum floccipendunt: ſed appetēter accedūt: & vt ait Oratius. Manet ſub ioue frigido venator tenere cōiugis immemor: optimi principes

Gymnici ludi.

Laus ve= natioais

vt docet dion: venationē exercēt vt rem optimā ſalubertimāq; vnde corpus robuſtius & aīa fortior efficit: in qua bellica oīa exercent: nam & in ea equitare & currere & atroces feras excipere: & eſtū frigusq; per ferre: ſepe famē pati neceſſe eſt: pſarū reges venātur intra ſepta vbi ve luti in carcere continēt incluſas feras: talis venatio iprobat. Cyrus au

Deſidia pniciosa

ctore Xenophonte ſuos non prius ad prandium ſiue ce= nam ire ſinebat q̄ ſudaſſent itaq; in venationem educe= bat: qua ſudor maxime euo catur. Damnabat autem o= tium & deſidiam perinde ac rem peſtiferam & cor= poribus valde detrimētoſā Refert idē Xenophon pſas

ludorū qui gymnici nominantur: magnus honos ſit: nullum ab his qui in id certamen deſcendant de= uitari dolorem: Apud quos auté venandi & equitandi laus viget: q hanc gloriam peteſſunt nullū fu=

in venatu nō prādere: q id ob ſoniū habēt quodcūq; venādo cepint: ſinminus naſturcio veſcūtur. Plato ille deus philoſophorū libro ſep= timo de legibus vitupat venationē aquaticorū aīaliū. Aucupiū dicit

Horoſco pus vena toris

rem magis eſſe ſeruilē q̄ libero dignā: q̄uis iucundū ſit venationē ve= ro ferarū maxime pbat: quæ equis canibus corporis viribus agitur: nam quibuſcūq; curæ eſt fortitudo ii quadrupedes oēs curſu vulne= ribus telis manu ppria venādo vincere debēt: venationē dixit orati gloriosam fuiſſe Romanis & ſalutarē illo verſu: Romanis ſolēne viris opus vtile famæ vitæq; & mēbris: q habuerit horoſcopū in.xvi. pte arietis: is erit venator. Auceps vel nutritor ferarum: Itē nati ſydere ca niculæ erunt venatores: Auctor firmicus maternus in.viii. matheſeos

Venatio i terdicta ſacratis

In canonicis decretis improbat venatio pinde ac nequiſſima: ſic eni ſcriptū eſt. di. lxxxvi. qui venatoribus donant nō hominibus donant ſed arti nequiſſimæ: ibiq; interdicitur ſacerdotibus venatio. Equi tandi: Cyrus apud Xenophontē ſuadet ſuis vt ſemp ſint in equis: ex

Perſæ ſp in equis

quo tempore obſeruatū eſt apud Perſas ne quis ex claris viris aſpicia= tur vnq̄ pedes incedere. Refert herodotus pueros pſarū a quimatu vſ q; ad viceſimū annum inſtitui tribus dum taxat rebus equitare. Saga

Veredarii Peteſſere Famula t' ābitio= ſorū Mi= ſerrima ābitio

citare, & vera loqui: qui habuerit in horoſcopo ſid' equi celeſtis: erūt aurigæ. Agitatores veredarii: vt inquit iulius firmicus: vbi veredarii ſignificātur hi curſores equeſtres: quos vulg' ſermone vernaculo cal ballarios appellat: quorū mētio fit a Hieronymo: & in inſtrumēto ve teri in libro cui titulus eſt heſter ſic ſcriptū legibus: epiſtolæ miſſe ſūt p verediarios: & egreſſi ſunt veredarii celeres nūtios pferentes. Pe teſſunt: petūt verbū vetus eſt: vt ipetraſſere: cōciliaſſere cōmoſtraſſere qualia apud plautū plurima. Qui ait in trinuūmo. Vtrā potius harū

mihi artem expeteſſam. Quid de noſtris ambitionibus. Ambitio: mortales impellit ad multos labores ſubeũdos: & cõtumelias demuſſandas: & iniurias tolerãter perferendas: vt ita ad id aliquãdo quod cupiunt peruenire poſſint: ſcribit ſcite & decenter columela in primo de re ruſtica. Ambitioſos miſerrimo famulatu ꝑ dedecus faſcium decꝰ & ipiũ ꝓfuſo tñ patrimonio mercari. Ambitio vt ait ſaluſtiꝰ multos mortales falſos fieri coegit: aliud clauſum in pectore aliud in lingua promptũ habere. Amicitias inimicitiaſqꝫ nõ ex re ſed ex commodo eſtimare: magiſqꝫ vultum q̃ ingeniũ bonum habere. Miſerrima eſſe omnino ambitio: honorumqꝫ contentio: vt præclare ſcriptum eſt apud Marcum Tullium. in libris officialibus.

giũt dolorem: quid de noſtris ambitionibus quid de cupiditate honorum loquar quæ flamma eſt ꝑ quam non cucurrerint hi: qui hæc olim punctis ſingulis colligebant Itaqꝫ ſemper Africanus ſocraticum Xenophonté in manibus habebat: cuiꝰ in primis laudabat illud

Quæ flamma eſt: methaphoricos nullum periculum recuſari ſignificat ab ambitioſis dum voti compotes fiant: per flammã enim nemo currere poteſt ſine vitæ diſcrimine. Antiquum verbum eſt petere cibum ex flamma: quod vſurpat Terentius in eunucho cum ait: ex flamma: te petere cibum poſſe arbitror: vetus quoqꝫ adagium eſt. De fumo tendere ad flammam quod ſignificat ire in periculum. Amianus Marcellinus: ire tendebat de fumo vt prouerbium loquitur vetus ad flãmam: alii interprætantur de fumo ad flammam ex tenebris ad fulgorem: ex infimis ſordibus emergere ad ſplendidam fortunam: quinent prouerbiale eſt illud ennianum flammam a ſapiente facilius ore in ardenti opprimi q̃ bona dicta. Dixit Mar. Tullius in bruto galbam eripuiſſem ſeſe de flamma iudicii: cum ſignificare vellet eum liberatum eſſe a periculo iudicialis damnationis: cuius veluti flamma ac incendio ſemiuſtulatus eſſe videbatur accuſante catone. Punctis ſingulis: ſuffragiis ſingulorum ſuffragatorum. Oratius omne tulit pontum qui miſcuit vtile dulci: hoc eſt vt exponit porphirio ſuffragia omnia iudicum: propterea quod antiqui ſuffragia non ſcribebãt ſed puncto notabant: hinc tale epigramma in plocium plancum: qui paſſus eſt repulſam in prætura diuulgatum eſt ſuffragiorum puncta non tulit ſeptem Ciconiarum populus vltus eſt mortem: auſonius in panegyrico ad gratianum. Munere inquit tuo non paſſus ſæpta nõ campum nõ ſuffragia nõ puncta: non luculos. M. Tullius libro tertio

Petere cibũ ex flãma

De fumo ad flãmã

Flãma iudici

Pũcta ꝑ ſuffragiis

Suffragia voce & tabellis leges tabellariæ

Pedia cyri non ad fidē hiſtoriæ

delegibus docet ſuffragia in tabellis occultari. Itaq; magis ꝓbat ſuffragia: q̄ voce fiunt q̄ quæ in tabellis dantur: inde leges tebellarie dictæ ad ſuffragia pertinēt: quales fuerūt gabinia. Caſſia. & carbonis a gabinio caſſio & carbonæ latæ: lex a Cicerone de ſuffragiis hæc cōdita eſt: optimetibus nota plebi libera ſunto. Socraticū xenophontem: pediā cyri ſignificat: quā: luculenter ſcribit xenophō atticus ſocratis diſcipulus: qui ad cyri virtutes exequendas votū poti⁹ q̄ hiſtoriam cōmedauit: cū diceret nō qualis eſſet cyrus: ſed qualis eſſe dicerent: quod opus adeo probat. Mar. Tullius vt id legendo pœne cōtriuerit: ſic enim ipſe ſcribit i epiſtola ad papiriū petum ϖαιΔειασκυρου: quam contriuerā legendo totam in hoc imperio explicaui: idem de eodē ſic refert in epiſtola ad quintū fratrē didaſcalica: cyrus ille: a Xenophonte nō ad hiſtoriæ fidem ſcriptus ſed ad effigiem iuſti imperii: cuius ſumma grauitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate coniūgitur: quosq dem libros non ſine cauſa noſter ille aphricanus de manibus ponere non ſolebat: nullū eſt enim prætermiſſum in his officium diligentis & moderati imperii: tradunt idonei ſcriptores inter Xenophontē & Platonem ꝓpter virtutū parilitatem fuiſſe motus quoſdā tacitos & occultos ſimultatis ac maliuolentiæ: idq; non ex cinceræ voluntatis argumentū: quod Xenophon libris Platonis de re publica oppoſuit contra ſcripſitq; diuerſum regiæ adminiſtratiōis genus: quod ϖαιΔειασκυρου: ideſt pediæ ſiue inſtitutionis cyri inſcriptū eſt: hoc facto ſcripto vſq; adeo ꝑmotū eſſe Platonem ferūt: vt libro tertio de legibus mentione cyri habita retractaudi eleuandiq; eius operis gratia virum quidē cyrum nauum & ſtrenuū fuiſſe dixerit: rectam vero diſciplinam nullo pacto attigiſſe: nec ad rei familiaris adminiſtrationem animū vnq̄ applicuiſſe. M. Tullius in oratore ſic laudat Xenophōtem vt eius voce muſas quaſi loquutas ferat: & vt auctor eſt laertius diogenes ob dulcedinē eloquii appellabatur muſa attica. Quintilianus in. x. tradit fuiſſe iucunditatem in Xenophonte inaffectatam: ſed quam nulla conſequi affectio poſſit: meritoq; dici poſſe in labris eius ſediſſe quantā per ſuadēdi deam: quā greci ϖιτο vocant. noſtri modo ſuadē mō ſuadelam. Eoſdem labores: In primo pediæ dicit ad cyrum cambyſſes debere Imperatorē in æſtate tollerare plus ſolis: in hyeme plus frigoris: In laborando plus laboris: quoniā hæc omnia

Pedia in manibus africani

Simultas interplat & xenophontem

muſa attica.

Pitho: Suada

quod diceret eoſdē labores non eſſe æquæ graues imperatori & militi: quod ipſe honos laborē leuiorem faceret imperatorū: ſed tamen hoc euenit vt in vulgus inſipientium opinio valeat honeſtatis. cū

conducunt ad amorē ſubditorū corpora enim imperatoris ac priuati
hominis ſimilia hiſdem laboribus non ſimiliter affici: honos enim la=
bores imperatori leuiores efficit:preſertim quod intelligit in hominū
eſſe oculis quicquid ipſe faciat. Eius iudicio ſtare nolim: Saluberri=
mū præceptum:quo monet. M. Cicero nō debere nos pendere ex iu=

Honos leuat labores īperatoris.

ipſam videre nō poſſit:Itaq; fama
& multitudinis iudicio mouentur
vt id honeſtū putent quod a ple=
riſq; laudetur. Te autē ſi in oculis
ſis multitudinis tamen eius iudicio
ſtare nolim:nec ꝙ illa putet idē te
putare pulcherrimū. Tuo tibi iudi
cio eſt vtendum. Tibi ſi recta pro=
banti placebis: tunc non modo tu
te viceris quod pauloante precipie
bam:ſed omnes & omnia. Hoc igi
tur tibi propone amplitudinē ani
mi & quaſi quandam exaggeratio
nem quē altiſſimam animi: qui ma
xime eminet: in contemnēdis & de
ſpiciēdis doloribus: vnā eſſe om=

dicio vulgi & plebeculæ im
peritæ: nā vt idem veriſſi=
me inquit in oratione pro
plancio: non eſt conſilium
in vulgo:non ratio:nō di=
ſcrimen: nō diligentia:non
ſapientia ducitur ad iudicā
dum:ſed impetu : nonnūq̄:
ſed etiā temeritate : hoc eſt
quod intelligi voluit perſi⁹
cū ait. Non ſiquid turpida
roma eleuet accedas exa=
mē ve improbū in illa caſti
ges trutina nec te q̄ſiueris
extra Seneca quoq; ſancte
& ſciēter vt oīa nūq̄ iq̄ tvo=
lui populo placere:nā q̄ ego
ſcio nō ꝓbat popul⁹ q̄ ꝓbat
popul⁹ ego neſcio. Tuo iu=
dicio In epiſtola ad curionē
ait idem: tecū loq̄re te adhi
be in conſiliū:te audi:tibi obtēpera:nemo eſt qui tibi ſapiētius poſſit
perſuadere te ipſo nūq̄ labere ſi te audies:in hanc ſententiā eſt illud ꝑ
ſianū: tecū habita & noris q̄ ſit tibi curta ſuppellex. Dixit alibi Mar.
Tullius ſuum quiſq; noſcat ingeniū acrēq; ſe & vitiorū & honorum
ſuorū iudicē præbeat. Exaggerationē:altitudinem & excellentiam:
tranſlatio ſumpta a terra: quæ exaggerrata & in aggerem erecta ſu=
ſtollitur in faſtigiū:oratores exaggerrationē facere dicuntur:quando
pluribus verbis vnā eandēq; rem vehemēter dicunt:quæ res maxime
venuſtat orationē apud Catonē luculēta illa exaggerratio eſt ſuccidi
das hūanas facis decē funera facis. Decē capita libera interficis:decē
hoib⁹ vitā eripis indicta cā in iudicatis in dēnatis:qđ ait Cato ſucci
dias humanas facis. vt id intelligas ſcito ſuccidiā dici tergus ſuillum
ſale duratum a ſuibus cedentis ſiue edendis: vt interprætatur. Marc.
Varro:nam id pecus primum occidere ceperunt & vt id ſeruarent ſa=
lire. Cato apud Ciceronem. Iam hortum inquit agricolæ alteram ſuc=

Conſiliū non eſt in vulgo.

Perſius.

Tecū habita

Exaggeratio.

Succidia.

cidiam appellant: maiores noſtri dicere ſolebant ignauū & ſumptuo-
Succidia hortus. ſum eſſe qui ſuccidiā in carnario ſuſpenderit portius elaniario q̄ e do-
meſtico fundo. Si vacet populo: vacare populo eſt operā populo da-
re & inſeruire. Aliter vacare populo ſignificat liberum eſſe a populo
populariq; iudicio: in quē ſenſum videtur hoc dici a Mar. Tullio am-
plitudinē ſcilicet animi pul-
chriorem futuram: ſi nō ſit
ſubiecta populo iudicio ſed
vacuam ab eo & liberam ſe
ipſa contentam non captā-
tem plauſus & auras popu-
lares. Sine vendicatione:
ſine oſtentatione. Nullum
theatrum: æpicurus cū vni
ex conſortibus ſtudiorū ſu-
orum ſcriberet: hæc inquit
ego non multis: ſed tibi: ſa-
Magnū alter alteri theatrū tis enim magnum alter alte-
ri theatrum ſumus: & pro-
fecto virtus laudatore non
eget: præconem non quæ-
rit: auram popularem non
captat. Non indiga alienæ
opis: non pendens ex vulgi
iudicio ſed ſibimet merces
Viſorium Speculatorium pulcherrima. Caſſiodorus
theatrum interprætatur viſorium: quaſi videndi & ſpectandi lo-
cum: quale a Cypriano dictum eſt ſpeculatorium. Conſcien-
Conſcientiæ vis. tia: vulgo celebratum eſt vice prouerbii. Conſcientia mille te-
ſtes: Cuius magna vis eſt in vtramq; partem illa virtutum noſtra-
rum & innocentiæ trucinatrix eſt ac præmiatrix: illa vitiorum inſec-
tatrix & carnifex: qua iudice nemo nocens abſoluitur: quæ vt inquit
ſatyrographus: ſurdo verbere cœpit occultum quatiente animo tor-
tore flagellum: qui probus eſt teſte conſcientia vitam degit ſecuram
& beatam: ſontes vero & ſcelerati mens habet neſcio quos carnifices
Cōſciētia carnifex. internos: modo ipſa ſibi cōſcientia carnifex eſt: grece dicitur οικεια
συνει δησισ βελει πληττει: την ψυχην: ideſt domeſti-
ca conſcientia iaculo animā ferit: Se æquabilem: quidam tolerantet
ferunt morbum vulneribus ſuccumbentes. Alii vulnera fortiter exci-
piūt dolorē morbi ferre nequeūtes: hæc inæqualitas a Cicerone dam-
natur: qui ait & hic & aliubi æquabilitatē in omni vita eſſe ſeruādam.

nium rem pulcherrimam: eoq; pul-
chriorē ſi vacet populo neq; plau-
ſum captans ſe tantū ipſa delectet.
Quinetiam mihi quidem laudabi-
liora videntur omnia quæ ſine vē-
dicatione: & ſine populo teſte fi-
unt. non quo fugiendum ſit: om-
nia enim benefacta in luce ſe col-
locari volunt. ſed tamen nullū the-
atrum virtuti conſciētia maius eſt.
Atq; in primis meditemur illud: vt
hæc pacientia doloris quam ſæpe
animi intentione dixi eſſe firman-
dam: in omni genere ſe æquabilem
præbeat: ſæpe enim multi qui aut
propter victorie cupiditatem: aut

propter gloriæ amorem: aut etiá vt ius ſuum & libertatem tenerent vulnera excoperũt fortiter & tulerunt. Idem omiſſa cõtentione dolorem morbi ferre nõ poſſunt: neq; .n. illũ quem facilẽ tulerát. ratione aut ſapientia tulerát: ſed ſtudio potius & gloriá: itaq; barbari quidã & immanes ferro decertare acerrime poſſum: ægrotare viriliter nõ queunt. græci autem homines nõ ſatis aioſi: ſed prudẽtes vt ẽ captus

Propter gloriæ amorẽ: in libro de fœlicitate perſcripſimus queadmodũ gloria eſt fax mentis: & ſola animos mortaliũ perurit inflãmatq; ad magna capeſſenda: ad pericula intrepide ſubeũda: in tãtũ vt viri magni excellentia animi pſtantes ſummũ bonoꝝ in gloria collocauerint: ad gloriã pinde ac metã actiones ſuas omnis direxerint. Deniq; pro gloria mori nõ recuſarit. Barbari & imanes: Alachris ẽ & fortis philoſophia cimbrorũ & celtiberorũ vt inqt Valerius maximus: qui in acie gaudio exultabãt tã q̃ glorioſe & fœliciter vita exceſſuri: lamentabantur in morbo: quaſi turpiter & miſerabiliter pituri: cantabros quoq; hiſpanię populos memoriæ proditum eſt: ſolitos canere peana leticiæ ſuffixos cruci ab hoſtibus. Celtiberi: auctore ſtrabone quadrifariã diuiſi ſunt: fortiſſimi omniũ ad ortũ ac meridiẽ ſiti: ſpurciſſimus ille fuit ritus celtiberorũ: quo corpora lauabant ex locio ſiue vrina quibus vrina erat pro dẽtificio: ea enim dentes & gingiuas pumicabant: auctores Strabo: Diodorus: Apuleius. Catullus: a celtis calliarũ & iberis hiſpaniarum cõſociatis dicti celtiberi: hinc ſilius. venere & celtæ ſociati nomen iberis & Lucanus gallorum celte miſcentes nomen iberis. Cimbri vero populi ſunt germaniæ: proximi oceano gloria ingentes: qui olim italiam inundarunt: tandem a mario ſubacti & ad inter nectionem deducti: ſunt de quibus fuſius prolyxiuſq; ſcripſi in ſecundo Propertii commentario ſuper eo verſiculo cimbrorumq; minas & benefacta mari: cimbri lingua gallica latrones dicunt: cur autem ſeptẽtrionales populi ſint ad arma promptiſſimi ruantque in ferrum ſine timore cauſa eſt ſanguinis abundantia: vt docet Victruuius in. vi. & meminerunt philoſophi: e contrario meridianæ nationes propter ſanguinis exiguitatem timidiores ſunt ferro reſiſtere: ſed ardores ac febres ſubſtinent ſine timore: cum corpora ſeptentrionalium a febri ſint timidiora & imbecilla. Græci prudentes vt eſt captus hominum id eſt tam prudentes q̃ capax prudentiæ eſt hominum natura. Apuleius dixit ſupra captum cogitationis: pro eo quod eſt ſupra quam quiſpiam cogitatione capere & completi poſſit. Terentius in adelphis

Gloria

Alacris Philoſophia cimbrorum.

Cantabri ſpurcus mos celtiberorũ.

Vrina p dentifricio

Celtiberi vnde.

Cimbri cã audaciæ in ſeptẽtrionalibus.

Captus hoim:

vt eſt captus ſeruulorũ non malus:vbi expoſuit donatus: quantũ ca=
pit animus ſeruilis:vel captus ſeruorũ vt ſe habet con ditio ſeruorum
& ſors apud Suetoniũ vltra captũ hominũ: græci dicti ſunt pruden=
tiſſimi & ingenia diuina ſortiti ex aeris loci ꝓ tēperie. Ariſtoteles in
ſeptimo politicorũ:quæ inquit gentes in frigidis regionib⁹ habitans:
animoſæ quidē ſunt:ſed pa
rũ ingenioſæ:quæ aſiā inco
lunt:ingenio abũdant: ani=
moſitatæ deſtituũtur:at ge
nus græcorũ vt mediā re=
gionem locorũ ſortitũ eſt:
ſic etiā prudentiæ & forti=
tudinis particeps eſt : nam
& animoſi ingenioſi græci
ſunt. Conſtat inter ſcripto
res græcos eſſe quidē pru=
dentes : ſed animoſos eſſe
non omnes concedunt: di=
xit Ouidius græcia facun=
dũ ſed male forte genus: li
uius ait athenienſes litteris
verbiſq; quibus ſolis valēt
bellũ aduerſ⁹ Philippũ geſ=
ſiſſe Cōſenſus eruditorum
dat prudentiā & fortitudi=
nem iunctim italicis gētib⁹
Acutiores enim hominum
mentes efficit aer calidus :
refrigeratus aũt tardiores:
tēperatiſſimæ vero ad vtrā
q; partē & corporum viri=
bus & animorum vigorib⁹
pro fortitudine ſunt : in italia gentes: quemadmodũ iouis ſtella inter
martem feruentiſſimũ & ſaturnum frigidiſſimũ media currēs tempe=
ratur & ſalutaris fit:eadem ratione italia inter ſeptentrionalē & meri=
dianam plagam ſalubri mixtura temperatur hinc corpora robuſta in
genia fecunda totiuſq; naturæ capacia . Tantillum: puſillum mini=
mum:tertio gradu diminutionis:a tanto tantulum tantillum. Plinius
ampliato etiā miraculo tantuli animalis cibo abſumi natalem tantarũ
arborũ. Vt a virtute obruat̃ Sicut i ſole lucerna ſint nec ne ſint nihil
interſit: ita dolor virtute ſupat̃: vt iaceat demerſus & nuſq̃ appareat.

Prudētes græci ex tēperie.

Græci valent litteris nõ fortitudine.

Itali fortes & prudentes.

Tantillũ. Tantulũ.

hominũ ſatis hoſtem aſpicere nõ
poſſunt.& iidē morbos tolerãter
atq; humane ferũt. At cibri & cel=
tiberi in preliis exultant: lamēran=
tur in morbo. nihil enim poteſt eē
æquabile q nõ a certa ratione pro
ficiſcatur:ſed cũ videas eos qui aut
ſtudio aut opinione ducantur i eo
pſequēdo atq; adiſpiſcēdo dolore
non frangi. debeas exiſtimare aut
nõ eſſe malũ dolorē: aut etiā ſi qd
quid aſperũ alienũq; a natura ſit.
id appellari placeat malũ tantulũ
tamen eſſe: vt a virtute ita obrua=
tur vt nuſq̃ appareat. Quæ medita
re quæſo dies & noctes. Latius eni
manabit hęc ratio:& aliquãdo ma
iorem.locũ q̃ de vno dolore occu
pabit.nã ſi oĩa fugiēdæ turpidiſa
dipiſcēdæq; honeſtatis cã faciam⁹
non mõ ſtimulos doloris:ſed etiã

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fulmina fortunæ:trãſlatio a ioue fulminãte. Cui⁹ fulmini nihil re ſiſtere poteſt: quod terrificũ eſt:& ineffugibile:qđ ſæpe nocẽtes p̃te rit exaiatq; indignos inq; merẽtes vt ait Lucretius. Profugiũ:mor tem intelligit: quæ erũnarũ & dolorũ finis eſt. Si cui nauigãti:Sen ſus eſt. Si nauigãti a p̃donibus depreſo diceret aliquis deorũ:vt ſe de naui deiiceret:paratũ ei eſſe

fulmina fortunæ contẽnamus lice bit:preſertim cũ paratũ ſit illud he ſterna diſputatione ꝓfugiũ. vt. n. ſi cui nauigãti quẽ predones inſe quãtur: deus qs dixerit. Eiice te de naui:preſto eſt qui excipiat vel del phinus vt arionem methyneum: vel equi Pelopis illi vel neptuni q per vndas currus ſuſpẽſos rapuiſſe

ſuffugiũ:ille ꝓfecto : depo neret omnẽ timorẽ: ita cir cũinuento doloribus ipati bilibus paratũ dicit eẽ ꝓfu giũ mortis : ad quã ſit con fugiendũ:vt ſic oĩs dolor fi niatur. Vel delphinus: qđ mare nõ nouit quæ neſcit Ariona tellus?vt inqt Oui dius: nihil ſane celebracius fabula ariõis citharedi Vec ti a delphino: de quo hero

Arion cantauiſſi mus.

dotus. Gellius. Plinius. Solinus. Cæteri. Vnus ſtrabo diſſentiens Au tumat Arionẽ a p̃donibus fuiſſe in mari obrutũ: quẽ reliq excœptum a delphino tradunt:qui captus muſico cõcẽtu adnatãs dorſo interflu ctus ædito illũ vectauit incolumẽ aduſq; tenarũ. In terrã laconicã. Me thymneus dr̃ a patria methymna: quæ ciuitas eſt in inſula leſbo vini generoſi ferax. Virgilius. Quã methymneo carpit de palmite leſbos & Ouidius gargara quot ſegetes:quot hẽt methymna racemos. Vel

Methym na. fœlix vio

æqui pelopis: ſat notũ quẽadmodũ pelops tãtali filius curruli certa mine cõtendit cũ oenomao hippodamiæ patre:qui cũ ex oraculo di diciſſet ſe tunc moriturũ:cũ filia nupſiſſet:multis illã petẽtibus ꝓpo ſuit certamẽ: quo victus interficeretur:victor filiã duceret vxorẽ: æ quorũ inſtituit curſum ad arã neptuni quæ eſt in iſthmo corinthiaco cũ plures æquorũ quos p̄niciſſiſſimos habebat velocitate ſupeſſet ſu peratoſq; peremiſſet:pelops tũ dolo cũ aurigã oenomai myrthilum corrupiſſet tũ æquorũ p̄nicitate vicit oenomaũ: abduxitq; ex pacto vxorẽ hippodamiã:a pelopis noie dicta pelopõneſus:& pelopidæ de

Equi pe lopis.

Pelopidę

ducti vnde nomẽ pelopidarũ famigeratũ eſt apud ſcriptores. Vel ne ptũni:græci εϖϖιον ϖοσιΔαωρα. latini æq̃ſtrẽ neptunũ vocã vel qđ pegaſus æquus ex eo ꝓgenitus ſit vel qđ tridentis ictu p̄cuſſa terra æquũ ꝓduxerit noie ſyronẽ cũ pallade cõtendẽs: ſup noie athe nis imponẽdo:ſcribit ꝓbus grãmaticus neptunũ principẽ exiſtima ri originis æquorũ & iccirco etiã poete tradũt ab eo donatũ æquũ a draſto nomine arionẽ: vnde a ſtacio dictus adraſteus arion:& iunoni

Neptun⁹ equeſter

Arion a draſteus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Xanthū & cyllaron quos illa dederit castori & polluci: ſed harū fabularum & cōmenti cauſa eſt natura: nāq; numen neptuni: qui deus eſt maris velox eſt & mobile inſtar æquorum: alii interp̄tantur neptunū vniuerſi liquoris hoc eſt ſeminis animaliū deum exiſtimari æquorum eo magis: quod planicies eis cōueniens ſit quæ aquis accidit: nūc. M. Tullius æquos neptuni intelligi vult vel illos quos iā diximus: arionē: ſyronem: xanthū: & ſcyllaron: vel illos marinos iugales: q currum neptuni per vndas volitantis ſuſpenſum trahunt: de quibus ait poeta ægregius: flectit æquos curruq; volans dat lora ſecūdo: itē in. v. æneidos copioſius: iūgit æquos currugenitor ſpumantiaq; addit frena feris manibuſq; oēs effundit habenas. ceruleo per ſumma leuis volat equora curru: De equis Neptuni Statius in achilleid. iubet ire iugales. illi ſpumiferos glomerant a pectore fluctus. pone natāt delētq; pedū veſtigia cauda. Plinius. Solinus. Diodorus: cæteri deſcribunt hippopotamos hoc eſt equos aquaticos: qui in quadam medendi parte magiſtri extiterūt. venā enim in crure vulnerantes & ita profluuio ſanguinis exonerantes corpus monſtrauerūt phlebotomiā & ſanguinis miſſionē. Quo ſit ſugiendū. ad mortis ſcilicet profugiū: quæ omniū dolorū finis eſt & erūnarū meta. In ſententia. quod ſcilicet dolor ſit maximū malorū. Duarum rerum: mortis & doloris.

Hippopotami.

Phlébotomia ab hippopotamo.

dicuntur: excipient te & quo velis perferēt: omnem omittas timorem ſic vrgētibus aſperis & odioſis doloribus ſi tanti non ſint vt ferendi ſint quo ſit confugiendum vides. Hæc fere hoc tēpore putaui eſſe dicenda. ſed tu fortaſſe in ſententia p manes. A. minime vero meq; biduo duarū rerum quas maxime timebam ſpero liberatum metu. M. Cras ergo ad clepſydram: ſic enim

Clepſydra quid.

Cras ad clepſydram: clepſydra horologii aquarii genus eſt. horas aqua dimetiēs. nam vaſculum eſt vitreū graciliter fiſtulatū. per quod guttatim defluit aqua incluſa ſtillicidroq; exhauritur: vnde nomē deductū ab aquæ furto. κλεϖτω enim ſignificat furor & abſcondo: καιτουΔορ ideſt aquam. conſimilia ſunt hoc tēpore clepſydris vaſcula illa apud nos vſitatiſſima: q̄ i medio inſtar duorū turbium coartantur: ex qbus puluiſculū p foramen minutū ſenſim delabitur ex parte ſuperiore in inferiorē: atq; ita legitimū tēpus horæ metitur vulgo nominitant horologiū puluiſculi. apud veteres oratoribus acturis cauſas forenſes p̄ſcribebatur tēpus dicendi datis clepſydris: qbus ex hauſtis: amplius dicere vetabātur: quod inſtitutū improbat Plinius in epiſtolis: qui ait paucioribus clepſydris cauſas p̄cipitari. q̄ antiquitus plu

Tēp⁹ dicēdi ad clepſydrā.

tibus diebus explicabātur. illa inqt increbruit paſſim inualuit conſue
tudo binas vel ſingulas clepſydras interdū & dimidias & dandi & pe
tēdi:idem alibi. Dixerā horis pene quinq;.nā tribus clypſidris:quas
ſpatioſiſſime acceperā ſunt additæ quatuor. in hunc ſenſum accipien
dum eſt illud epigrāma mordacis poetæ:ſeptem clepſydras magna ti

dicimus:ſed tibi hoc video nō poſ
ſe deberi. A. ita prorſus. Et illud q̄=
dem ante meridiem. Hoc eodem
tempore. M. ſic faciemus:tuiſq; o=
ptimis obſequemur ſtudiis.

bi voce petenti. Arbiter in
uitus ceciliane dedit. In cō
mentariis apuleianis anno=
tauimus clepſydrā hanc ab
apuleio deſignari:q̄ accuſa=
tori reoq; cauſam dicturis
dabat̃ cū in tertio de aſino
aureo ſic ſcribit. accuſator
quidā ſenior exurgit & ad dicendi ſpatiū vaſculo quodā inuicē coli
graciliter fiſtulato ac per hoc guttatim defluo infuſa aqua populū ſic
adorat:hoc eſt quod idē in apologia ſub obſcure ītelligit voluit dicēs
ad accuſatorē. mea aqua licet ad hoc vtare:ideſt potes vti tēpore mihi
ad dicendū dato preſcriptoq; p clepſydras aquarias. obiter corrigen
dus eſt apuleii loc⁹ ex hoc ſenſu ductus plane dignus correctione. Sic
enim ſcriptū eſt in apologetico. quoniā mihi pro accuſationis lōgitu=
dine largitur atq; ſupereſt. verba futilia haud dubie & lapſantia male=
q; coagmentata citra ſenſus venuſtatē. nos adibita curioſitate illa ge
nuina ita emendauimus. Quoniā mihi pro accuſationis longitudine
largiter aquæ ſupereſt. vide queſo an hæc emēdatio noſtra. digna ſit
aſteriſco:cuius ſenſus eſt:ſibi ſatis ſuperq; aquæ ex clepſydra ſupereſſe
ad dicendū. ſic emaculata doctiſſimi ſcriptoris verba redolent morē
priſcū: & ſaporē apuleianū guſtatu prebent:clepſydris vt ait Martia=
nus lunæ magnitudo cognoſcitur clepſydrā vt inquit Seneca non ex
tremū ſtillicidiū exhaurit:ſed quicquid ante defluit. In hāc ſententiā
ait ſcriba apud philoſtratū ad apolloniū tyaneū:quota aqua tuā oratio
nem metieris. & mox paulo. Clamabat accuſator metire aquā o rex.
ſi enim orationis prolixitatē illi conceſſeris nos omnes decipiet: ſen=
ſus eſt Ciceronis ſed die craſtino diſſertaturū ad clepſydrā hoc eſt tē
pore preſcripto & ſtatuto horarū ſpatio:quas clepſydra metitur. Non
poſſe deberi. video inquit te nolle diſputationes noſtras aſtringi ar=
ctariq; ad clepſydre menſurā: ſed prolixiores longioreſq; fieri prout
res ipſa poſtulabit. Illud videtur ſignificare ſe ante meridiem ſolitum
commentari meditariq; : quæ pertinent ad oratoriam facultatem.
poſt meridiem vero exercere ſcholas philoſophicas: vt illud referas
ad meditationem oratoriam. hoc ad diſertationem philoſophi=
cam.

Clepſy=
dra apud
epigram=
matiſtā.

Correct⁹
apulei lo=
cus.

Philoſtra
tus.
Metire
aquam.